



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Inquisitori de nouo instituto q[ui]d agendu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

INCIPIT TERTIA PARS DIRECTORII INQUISITORVM,

*Cum Comentarijs Francisci Pegne Sacre Theologie & iuris
vtriusque Doctoris.*

TERTIA Pars huius Directorij officij Inquisitionis est de practica huius officij, qualiter scilicet, sit ipsum officium exequendum, & hic oportet tria videre. Nam primo videndum est, quomodo & qualiter inquisitionis processus hereticę prauitatis sit incipiendus. Secundo, quomodo & qualiter sit median-
dus. Tertio, quomodo & qualiter sit sine debito terminandus.

QUOMODO ET QUALITER PROCESSVS IN CAUSA FIDEI EST INCIPIENDVS.

**Inquisitori de nouo instituto quid
agendum.** A no temporalis, si & prout melius poterit, huius-
modi litteras saltem in substantia, & effectu te-
noris sequentis.

PRIMO est videndum, quomodo, & qualiter processus in causa fidei est incipiendus. Vbi considerandum est, quod quando Inquisitor est a domino nostro Papa, vel ab alio eius vice, de nouo institutus in aliquib. regnis, vel terris.

In primis ^a debet se presentare Regi, vel domino temporalis illarum partium, vel terrarum, in quibus est Inquisitor a Sede Apostolica deputatus, & facere sibi de sua commissione Apostolica plenam fidem, & post eidem supplicare, & exhortari, quod habeat eum, quo ad suum officium commendatum, prestando sibi (cum opus fuerit) consilium, auxilium, & fauorem; Exponendo eidem, quod ad hoc tenetur secundum canonicas sanctiones, si fidelis haberi cupit (prout debet) & vitare vult multiplices penas iuris, quae continentur in capit. Ad abolendam, de heretic. libro quinto, & in capit. Ut inquisitionis, de heret. libro sexto.

Inquisitor si-
de Domino
temporalis de
sua institutio-
ne faciat.

Litteras fau-
rabiles ab eo
impetrare stu-
deat.

Quibus ^b factis, petere debet litteras salu-
guardia, & protectionis a predicto domino tem-
porali, pro seipso Inquisitore, & eius socio, no-
tario, & familia sua, ac bonis eorum: quae of-
ficialibus illius domini dirigantur, & nihilomi-
nus quod dicti officiales Inquisitori pareant in
capiendo hereticos, credentes, receptatores, de-
fensores, fautores, ac de heresi diffamatos; ac in
executione facienda contra predictos faciant om-
nia & singula, quae ad eorum officium spectant,
pro extirpanda heretica prauitate, & extollenda
catholica fide, quando & quoties ab Inquisito-
re, vel eius nomine fuerint requisiti. Et habeat
ipse Inquisitor ab ipso rege vel principali domi-

Forma litterarum domini temporalis, quas de-
bet impetrare Inquisitor quando est no-
uiter institutus.

N Dei gratia Rex talis regni, dilectis,
& fidelibus vniuersis, et singulis of-
ficialibus nostris, & eorum loca ten-
entibus vbilibet infra dominium
nostrum constitutis, & constituen-

B dis, ad quos praesentes peruenerint. Salutem &
dilectionem.

Cum Religiosus, dilectusq; noster frater N. or-
dinis fratrum Praedicatorum Inquisitor hereticę
prauitatis in regnis, & terris nostro domino sub-
iectis a sancta sede Apostolica specialiter delega-
tus pro Dei seruitio, & cultu, seu relaxatione san-
ctę fidei orthodoxę, utq; ipsum heresis detesta-
bile crimen a dictis partib. quib. p̄sidemus (si for-
san alicubi vigeat, siue inoleat) valeat extirpare,
ad loca seu ad partes nostrę iurisdictioni subie-
ctas, & vobis commissas declinare quandoque ha-
beat, seu etiam proficisci: Nosq; velut princeps
catholicus, q̄ de manu Altissimi multa bona, va-
riosque honores recognoscimus recepisse, in p̄-
dictis, & alijs, quę diuinum concernunt obsequium
ipsi Deo conditori omnium placere (vt cōuenit)
plurimum cupientes, intendamus, immo & ve-
mus omnino fauorabile dare locum, ipsumq; In-
quisitorē tanquā specialē Dei ministrum nostris
prosequi gratijs, & fauoribus oportunis: Ideoq;
vobis, & vnicuiq; uestrum dicimus, & expresse
praecipiendo mandamus, sub pena nostre gratiæ
& mercedis: quatenus quocumq; dictum fra-
trem